



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistolæ Præpositorum Generalium Ad Patres Et Fratres Societatis Jesu

Oliverius, Horatius

Pragae, 1711

XXI. Ejusdem ad Provinciales Societatis. Anno 1613. 28. Maji. Monita
complectens, formandis Concionatoribus apta

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55386)

Præpositorum Generalium
Societatis JESU

XXI.

R. P. N.

CLAUDI
AQUAVIVÆ

Præpositi Generalis V.

Decimasexta,

Ad Provinciales Societatis.

Anno 1613. 28. Maji.

*Monita complectens, formantibus
Concionatoribus accommodata.*

*Momentū
ministerii
concionandi.*

Quemadmodum nostræ Societatis hic est finis, non solum salutis & perfectioni propriarum animarum (ut loquitur B.P.N. IGNATIUS) cum Divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere; ita etiam media, quibus illi juxta nostram vocationem juventur, hæc suppetunt, quæ pariter ab eodem B. P. indicantur, oratio videlicet, sancta desideria

confessiones, spiritualia exercitia, colloquia privata, conciones. Et vero concionandi ministerium, si probè exerceatur, non dubium quin sit ad lucrum animarum aptissimum. Sic quippe S. Petrus sibi à Domino dictum audivit: *Ex hoc eris homines captiens.*

2. Ad illud autem munus pro dignitate obeundum, plurima in Societate adjumenta subministrantur: impedimenta si qua existunt, ea pauca sunt; & à quibus, si quidem planè velimus, expedire nos haud magno negotio possimus. Quoniam ergo de hoc ipso argumento dicere aliquid in præsens instituimus, idque vehementiùs inculcare, quod breviori epistola missa ad Provinciales 14. Augusti, 1599. commendaveramus; ità rem omnem perstringemus, ut de adjumentis agamus primùm, tum impedimentis, postremò de mediis & indultriis, quæ ad id munus perfectè explendum non parùm conferant.

3. Primum adjumentum est, opinio virtutis ac probitatis: in qua opinione ferè sunt nostri apud omnes, tamquam Societatis religiosi. Hujus verò existimationis tanta vis est, ut dixerit S. Augustinus: *Habet autem, ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis majus pondus vitæ dicitur.* Ergo cavebunt nostri diligentissimè,
nè

Septem
adjumen-
ta.

1. Opinio
virtutis.

4. de
Doct. c.
27.

nè quos præ se ferant minùs rectè compo-
 tos animi motus , nè nimiam corporis cu-
 ram , nè ambitionem honoris , aut quem-
 bet denique alium immoderatum affectum.
 Quibus rebus fit plerumque , ut apud sacro-
 lares , quamvis alioquin ab eiusmodi vitis
 non alienos , nonnihil de Concionatoris no-
 mine & exultatione depereat. Eandem
 que ob causam non se nimium dabunt
 familiaritatem externorum ; sed solummodo
 quatenus id eorum spiritualis postulabit ue-
 litas : nam quæ propius inspectantur , et
 quoque manifestius , quid in se habeant
 tui , demonstrant.

2. *Ordi-
 natum
 studium.*

4. Sua habere ordinata studia , & que
 dem necessariis vacua distractionibus ,
 quibus spontè se implicare fortè quis
 Indè vero consequitur , ut homines Socie-
 tatis solidam nanciscantur doctrinam , tunc
 loqui valeant. Quæ res magno utique
 adjumento : quemadmodum è contrariis
 quisquis sana est mente , timidior certè re-
 ditur , atque ad dicendum impeditior , si quod
 dicit , non adeò exploratum habet , ut in
 prehensionem incurrere jure non posse cre-
 dat.

3. *Studiū
 S. Scriptu-
 ræ, & SS.
 PP.*

5. Privato studio sacræ Scripturæ, se-
 gendis Patribus incumbere ; tempùsq; hu-
 studio destinatum habere liberum, juxta no-
 stræ

stram Instructionem, quam diligenter ob-
servari peroptamus.

Instr. 2. §.
7.

6. Uberrima ad dicendum quasi obvia
materia, quæ videlicet à plerisque eruditis,
gravibusq; Doctoribus aucta plurimum est,
& hæcenus digesta sapienter. Maximè ve-
rò cum de Societate non pauci, & Scripturis
sacris exponendis, & aliis argumentis per-
tractandis, ejusmodi conscripserint libros,
ut ingentes collectos thesauros nullo propè
labore eruere indè cuivis liceat.

4. Mate-
ria sele-
ctus.

7. Tempestivè in Collegiis, ipsaque
juventute, concionandi ministerium inchoa-
re; accedente ad exercitationem operâ &
instructione Præfectorum, ceterisque ne-
cessariis adjumentis. Qua ex re perinde at-
que ex frequenti animi reflexione, dum sæ-
pius coram doctis rectèque dijudicantibus
dicere contingit, facilè quis hoc assequitur,
ut firmo synceròque judicio libere, animosè,
ac limatè dicat.

5. Tempe-
stiva præ-
paratio.

8. Multos, ac bonos audisse Prædicato-
res. Qua tamen in re iudicio est opus. Ideo
cavebunt Superiores, nè nostri ad eos accu-
rant, à quibus vitia potiùs addiscant.

6. Audi-
tio præcla-
rorum Con-
cionato-
rum.

9. Sed plus quàm credi possit, negoti-
um promovet, potiùsque nobis partes con-
ciliat, & materia de qua dicimus, & audito-
res apud quos dicimus, & auctoritas maje-
stas-

7. Autho-
ritas, &
majestas
muneris
hujus.

istâsque muneris. Dicimus enim tamquam
 superiores & magistri, non coram Senatibus
 aut populo, ad modum antiquorum orato-
 rum, Demosthenis, Ciceronis, & similium
 de rebus ad rempubl. spectantibus, delibe-
 rando, vel consultando; accusando, vel de-
 fendendo singulares personas; vel adhiben-
 do panegyricos ad virtutes, aut præclaras
 iustitiam celebranda facinora; sed agimus
 singulorum audientium negotio maximo
 summis utilitatibus, qua una re nihil audiri
 libentiùs. Et si quidem docemus, doctrinam
 quam proferimus divinam, propter quam
 des ipsa, quæ in auditorum pectoribus re-
 det, eosdem benevolos reddit ac dociles,
 nec non ad assentiendum faciles. Quod
 delectare sit animus, nihil usquam
 Dei & Scripturis sacris est delectabilius.
 Ideo quippe ait Propheta: *Dilexi manna
 tua super aurum, & topazion.* Item, *Quia
 dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel
 meo.* Hanc enim per se vim habent, ut
 nudè prolata delectent. Præterquam quod
 historiarum varietas, quæ inibi continetur,
 mirum in modum recreat audientes: meta-
 phoræ itè, & psalmorum poësis, Prover-
 bia autem & sententiæ Salomonis, similia
 quoque ac dissimilia, si loco ponantur
 tempore, sunt profectò (ut cum Scripturis

Psal. 118.

127.

Ibid. v.

104.

loquar) tamquam mala aurea in lectis argenteis, vel inauris aurea, & margaritum fulgens. Verùm de ornatu nimio ad oblectandum adhibito, rectè D. Augustinus, *Nec illa* ^{4. de} *suavitas*, inquit, *delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua & frigida* ^{Doct. c.} *bona spumæo verborum ambitu ornantur, quali nec magna & stabilia decenter & graviter ornarentur.* Si tertiam deinde ac præcipuam oratoris partem consideremus, (quæ in persuadendo, affectibusque concitandis posita est) quis dubitat, quin verba resque divinæ sint veluti sagittæ acutissimæ? Testatur verò S. Augustinus, Philosophos ipsos ac Rhetores, quamvis Divinæ sapientiæ forent expertes, dixisse tamen, pluris æstimandum, si diceret orator sapienter, ubi non posset eloquenter. Tum idem Sanctus subjungit: *Sapienter autem dicit homo tantò magis vel minus, quantò in Scripturis sacris magis minusve profecit.* Deinde capite duodecimo hæc addit, quæ ad movendi rationem spectant: *Sicut delectatur auditor, si suaviter loquaris; ita flebitur, si amet, quod polliceris; timeat, quod minaris; oderit, quæ arguis; quæ commendas, amplectatur.* & quæ sequuntur. Equibus omnibus, ut liquet, ampla dicendi materia subministratur. Cùm ergo Christiani Ecclesiastæ finis sit longè sublimior, magis-

gisq; necessarius, quam cuiusvis profani oratoris; materia verò prorsus alia; cumque eisdem Concionatores sint veluti Legati à Deo missi (ità enim Dominus olim ad Prophetas, *Hæc dices populo huic, & hæc, & hæc*

Jerem. 4. *dicit Dominus. ad Hieremiam itè: Dedit*

9. *ba mea in ore tuo. Sic D. Paulus: Legati*

2. Cor. 5. *ne pro Christo fungimur, tamquam Deo extrin-*

20. *se per nos) debent sanè ipsius, à quo*

tuntur, Principis verbis, quoad possunt

gationem exponere. Atque hinc fit, ut

eadem, sed planè diversa esse debeat utri-

que Oratoris dicendi ratio. Res enim gra-

diores grandius quoque postulant genera-

tionis. Ceterùm cum res illæ, quæ de

cularibus Oratoribus tractantur, postea

nunc parvæ esse, nunc magnæ, prout

jorem utilitatem continent, nempe cum

pecunia, aut de hominum vita, ac similibus

agitur; in his tamen nostris (quandoque

omnia, ut idem S. Augustinus ait, maxime

quæ è loco superiori populis dicimus, et

hominum salutem, nec temporalem, sed

ternam referre debemus, ubi etiam cave-

ndus est æternus interitus) in his, inquit

nostris, omnia sunt magna, quæ dicimus

Idco subjungit : *Oportet igitur eloquentiam*

Ecclesiasticam, quando suadet aliquid quod

gendum est, non solum docere, ut instruat

de

gloriam, & animarum salutem illud impendunt, jugi lætitiâ perfruuntur, & novo lætæ per spiritu labores obeunt. Dominus autem eorum labores inutiles esse non sinit quin potius exiguæ sementi uberem largitur messem.

2. *Incautus materia selectus.*

11. Incautus delectus in studii materia consecretandis profanis auctoribus, historiis hieroglyphicis, poetis, & aliis id genus dum quis eruditi nomen inde aucupatur quasi Mathematicam nôrit, Astrologiam, Medicinam, Anatomiam, Physiognomiam, & ipsam (si Deo placet) Alchymiam, erubescit earum rerum ostentare notitiam quas majore cum laude & opinione reposititatis se nê intelligere quidem ostendit.

3. *Studium inordinatum.*

12. Inordinatum studium, minus firmum, dum quis hic illic sparsim aliquid legens, nusquam figit pedem: nec iniquam ubinam effodiat, unde thesaurum eruat. Qui verò ejusmodi est, magnam utique temporis jacturam, nec debitam sibi comparat suppellectilem.

4. *Defectus considerationis.*

13. Non observare diligentius, nec meditari, quæ leguntur in Scripturis sacris. Quo fit, ut plerique excidant, ac velut neglecti pereant thesauri: idque, quod dicitur, languidè ac jejunè dicatur.

5. *Materia*

14. Læctione quidem percurrere

ctos Patres, sed exigua mentis applicatione, *ria non ex*
levique adhibito studio, ad eruendas mate- *ipsis fon-*
rias, quæ postmodum futuræ sint usui. At- *tibus hau-*
que hic longè falluntur, qui cùm aliquem si- *sta.*
bi levem ac futilem conceptum efformârint,
tum Sanctos Patres in eum solum finem e-
volvunt, ut reperiant quo sua commenta
confirmare queant. Quasi verò utiliùs ex-
peditiùsque non foret, ex ipsis augustissimis
fontibus aquas haurire, quæ nullo postea
negotio, quo potissimùm expediat, deri-
ventur, sua ipsorum verba, tum auditorum
pectora irrigaturæ.

15. Memorix ostentatio, quæ profe- *6. Osten-*
ctò magnopere quemvis dedecet in historiis *tatio me-*
etiam adducendis, rebùsque profanis; qui- *morix.*
bus nempe non nisi modicè ac scienter uten-
dum, si quando gravitatis aliquid habeant,
& ad virtutem exacuant; indè videlicet sti-
mulos admovendo, quod vel ab ipsismet
profanis auctoribus, virtutis quoque splen-
dor nobis demonstratur. At illa ipsa osten-
tatio in sacris Scripturis, ac Sanctis Patri-
bus, nec laudem habet ullam, neque utilita-
tem, si crebræ ac variæ, non inculcato sen-
tentiarum pondere, citationes adducantur.
Hæ siquidem lectionibus conveniunt po-
tiùs ad indicanda loca, unde doctrina erui
possit atque confirmari, quàm sacris con-
cio-

7. *Concep-
pius va-
nus, &
futilis.*

16. Perlegere quosdam è Sermonariis
ut vocant, qui temere plerumque Scripturis
abutuntur; conceptusque vanos ac futiles
consectantur, qui quo plus habent notitatis,
longiusque absunt ab humana cognitione,
tanto magis Concionatoribus ipsis videntur
arridere, quasi exquisitam illam cognitionem
attingere alius nequeat ullus. deoq;
graviter his conceptibus & commentis in
errorem impelluntur nonnulli, ut in
utilius in ejusmodi librorum, quam in
Sanctorum Patrum lectione ponere tempus
solerentur: propterea quod non perinde
his, atque in illis talia commenta reperiantur.
Atque in hoc quidem minimè falluntur,
nam Sanctorum Patrum conceptus firmiter
habent, medullam spiritus, multatque
ad permovendos oblectandosque animos
efficacitatem: quin & ipsa per se cujuslibet
Sancti auctoritas pretiosiores illos atque
commendabiliores efficit.

8. *Affectatus
dictionis
modus.*

17. Affectatus dictionis ornatus,
quo quidem gravissimè peccatur, non modo
contra quam deceat oratorem Ecclesiasticum,
sed etiam adversus eam artem, quam
profani Rhetores tradidèrunt; ut liquet
ex Aristotele, Cicerone, & aliis artis mag-
istris. Hic porrò innumeris pæne modis

rari contingit, crebra videlicet epithetorum
usurpatione, tum adhibendis phrasibus poë-
ticis, nimumque exquisitis; audacioribus
item, atque frequentioribus metaphoris,
longioribus circumscriptionibus earum re-
rum, quæ uno simplicique vocabulo essent
contentæ; multarum quoque rerum enu-
merationibus, veluti virtutum aut vitiorum,
quæ recto deinde, nec non inverso iterum
ordine reperantur: adhæc investigandis vo-
cibus antiquis, obsoletis, recens inventis,
compositis, aut derivatis, usurpatis inter-
dum (ut de Italicis exemplum afferam) à
Boccatio, vel poëtis, aliisque, qui linguæ
gnari ac bene periti videri voluerunt. Et
sunt, qui quo minus intelliguntur, eo majore
apud auditores admirationem se habere
credant. His verò plerumque accidit,
ut spectatoribus exhibeant alterius quasi
panni vestem sericis aliquot particulis assu-
tis: justo tamen Dei judicio, quod ipsa do-
cet experientia, risui sint atque ludibrio a-
pud eos, quibus lingua, aut nativa, aut pro-
bè cognita est. Ideò S. Augustinus, *In ipso,*
inquit, etiam sermone malit rebus placere,
quàm verbis; nec Doctor verbis seruiat, sed
verba Doctori. Ceterum etsi referre non
sit animus, quod Seneca, & alii graves dixê-
re Philosophi, de sermone philosophico, ple-

nóque dignitatis ; prætermittere tamen
possum , quod à Plutarcho notatum video
hanc scilicet exquisitam , & à communi
abhorrentem verborum exornationem
que traductionem tenebras potius rebus
fundere , quàm splendorem afferre. Ait
quidem , interrogatum Melanthium de
genis tragœdia quid sentiret , respondi
eam se non vidisse , propterea quòd ita
bis obscurata involueretur , ut perspicere
posset. Hoc autem ideo adjecit , ut qu
antè dixerat , confirmaret : ornatiùs nempe
abundantiùsque dicendi genus auditorum
animos adeò perstringere , ut ipsi rem
de agitur , capere nequeant. Per multa
de eodem argumento differit , & profert
empla , quæ percensere nihil attinet.
quippe mihi erit caput hoc concludere
memorabili S. Hieronymi sententiâ , illius
modi Concionatores redarguentis in

Lib. 3. verba : Jam enim & in Ecclesiis ista quæ
Com. ad eur , omiſſa que Apostolicorum simplicitate
Gal. in puritate verborum , quasi ad Athenæum , &
proœmio auditoria convenitur , ut plausus circumſpectum
suscitentur , ut oratio Rbetorica artuſa
cata mendacio , quasi quadam meretricia
prodeat in publicum , non tam eruditura
pulos , quàm favorem populi quaſitura ; Et
modum psalterii , & tibia dulcè canente ,

sus demulceat audientium, ut verè illud Prop-
pheta Ezechielis nostris temporibus possit apta-
ri, dicente Domino ad eum, Et factus es eis qua-
si vox citbaræ suavè canentis, & bene composita:
& audiunt verba tua, & non faciunt ea.

18. Ingerere velle nonnulla, sive ea 9. Ineptarum rerum admixtio.
quadrent, sive dedeçant, quæ aliàs ipsi le-
gerint, & venusta putent aut curiosa. Id
enim si temere fiat, nullo negotio à peritis
deprehenditur, judicaturque Prædicator
curtam habere supellectilem, quia similia
in medium proferat.

19. Nihil sibi certò constituere, quod 10. Incerti scopi præfixio.
persuadere quis velit; neque rationes affer-
re, quibus id confirmet, amplificet, ex-
aggeret, aut denique moveat audientes: sed
id solum promere, quod de Euangelio, vel
alia quapiam materia legerit, aut excogita-
rit. Idque adeò grave impedimentum est,
ut nihil appositè dici, fructus percipi nullus
possit. Errat enim, & frustra vagatur, ni-
hil habens certum quod petat oratio, & quò
ictum dirigat: vacuèque abscedunt audito-
res, nihil domum reportantes, quod secum
ipsi, ut oporteret, meditentur, vel quo se
permotos sentiant.

20. Huic impedimento affine est un- 11. Multa cursim dicere.
decimum, quod ab eodem nonnumquam de-
rivatur, non satis ruminari, quæ dicenda
sunt;

2. Tim.
2. 15.

sunt; nec recte, ut ita dicam, secare, (C
enim D. Paulus, *Rectè secantem verbum* De
quo loco nostra versio legit, *Tractantem*
non instare persuadendo, & inculcando, in-
tellectum convincendo, & affectum permo-
vendo: sed multa cursim dicere ad copiam
ostendendam, nè Concionator jejunus ap-
pareat. Quasi verò insistere singulis, ubi
opus, tum prolatis exemplis, & rationibus
quæ ducantur à similibus, & dissimilibus
conjunctis, & contrariis: argumentis ita
conquisitis à majori ad minus, & contrariis
utilitate, & necessitate, à delectatione, &
facilitate, & aliis generis ejusdem; tum etiam
loco ac tempore Scripturis expendendis
que dilatandis; quasi, inquam, hic ampli-
candi modus inopiam arguat potius quam
ubertatem, & abundantiam. Certè hujus
doctrinæ præstantissimus extitit magister
Joannes Chrysostomus.

12. *Vitia*
plausibili-
um Con-
cionato-
rum imi-
tari.

21. Imitari, & exprimere velle in-
dum etiam, quæ vitiosa sunt in nonnullis
Concionatoribus, quos alioquin plausus
auditorum frequentia celebris effecit: ne-
que enim res eadem cuivis ætati, naturæ,
conditioni, aut ingenio convenit. Unde
nec dicenda est eloquentia, ut ait S. Augu-
stinus, si personæ non congruit loquentis.
Qui verò ejusmodi sunt, ii profectò ex infir-
mitate

pietium sermone se pendere demonstrant, dum iudicium concionum ad vulgus & auditores deferunt. Quæ res multis obnoxia est incommodis, rectèque adversus eam differit ex professo D. Joannes Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio. Et certè mirum est fieri nos velle discipulos vulgi, quod nec arte, nec iudicio, nec rerum delectu docere nos potest; imò quod nec sibi constat. Fit enim plerumque, ut à diversis diversa probentur, aut improbentur; idque unus respuat, quod alter admittit. Quòd si aliquando in una re plures conveniant, vix unquam id contingit in laudando spiritu, efficacia, rerum copia; sed potiùs in prædicanda facilitate dicendi, memoriæ felicitate, aut aliis similibus levioris momenti dotibus. Et tamen S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, & S. Augustinus affirmant, tum se populi approbationem consecutos, non cum applauderetur, sed cum animis concitatis, & collacrymantibus oculis à concione discederetur.

22. Monita non libenter audire, quasi non nisi ejus artis peritissimus de ea iudicium ferre queat. Sed enim omnibus competentum est, alium etiam quàm picturæ magistrum posse in tabula, quæ hominis speciem pictam referat, deprehendere, si naso sit ob-

13. Monita illibenter audire.

obtorto, si limis oculis, si tumidis manibus
 si imparibus denique pedibus. Pluris au-
 tem fieri debent, ac lubentiùs audiri quæ
 quis à Superioribus, vel Præfectis concio-
 num, ceterisque alicujus auctoritatis mo-
 nebitur. Qui porrò ejusmodi admonitio-
 nibus locum non dabit, hic certè nimiam
 confidentiam, rerùmque suarum opinionem
 arguet.

14. *Vitiis
 conciona-
 toris in-
 senescere.*

23. Insenescere vitiis, quibus à primis
 annis quispiam assueverit, maximè si ob
 ipsa à sui similibus laudabatur; adjectis
 gratulationibus, quæ novum oratorem no-
 numquam agunt præcipitem. Quæ in
 graviter errant Superiores & Præfecti, qu-
 bus ea incumbit cura; malùmque reddunt
 insanabile, si dum juventutem excusandam
 animosque erigendos potiùs, quàm contin-
 hendos arbitrantur, connivent in eo gener-
 vitorum, quæ non tam ætas minuere, quàm
 augere solet dissimulatio. Et sanè juveni-
 bus animos addere, sed prudenter oportet
 ea laudando, quæ recta, & in bona spe sunt
 posita; non tamen dissimulatis erroribus,
 scilicet meliores evadant: & dum per
 tem licet, ad perfectionem rectà contem-
 dant. Ideo consultissimum est, eosdem ite-
 rum post monitiones ad concionem evoca-
 re, ut numquid emendârint, appareat. Nam
 alio-

alioquin hærebunt vitia ; & inveterata, ut ferè usu venit, fient robustiora. Nos quidem viros doctos & graves novimus, eosdemque Concionatores, cum à personis magna auctoritate, sibi que benevolis, fidenter admonerentur de via concionandi sua, respondere solitos, jam sibi integrum non esse emendari, tum quòd in veteri more consenuissent, tum nè post tot annorum conciones formam earum commutarent, præsertim cum priorem illam populi mirarentur.

24. Non meditari, nec animo comprehendere, ac possidere res dicendas, adeò ut non tamquam alienæ referantur, sed veluti ejus propriæ, qui dicit ; quisque primùm sibi persuaserit, quod aliis persuasum velit. Nisi enim ex intimo animi sensu loquatur, atque ita loqui credatur, nihil promovebit. Eam ob rem, atque ut appositè dicat, oratione indiget, motuque animi, antequam suggestum ascendat. Unde S. Augustinus: *Ipsa, inquit, hora jam ut dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eruât, quod biberit ; vel quod impleverit, fundat.*

25. Prima Industria sit, Præcavere diligenter, nè in errores, seu impedimenta paullò ante enumerata incurratur. Ex eorum quippe declinatione intelligetur, quid è con-

15. Dicenda non premeditari.

Cap. 15.

Duodecim Industria.

1. Distin-

*impedi-
menta vi-
tare.*

è contrario juvare nos queat. Dum enim illa quindecim capita percurrentur, multum procul dubio succurrent adjumenta. Exempli causâ, si impedimento est incautus librorum delectus; adjumento erit prudentis electio. Si nocet inordinatum vagumque studium; proderit ordo atque constantia. Si obest lectio sacrarum Scripturarum inconsiderata, ac meditationis expertis; conducet considerationem ac meditationem adungere: ad eundemque modum in reliquis.

*3. Cap. de
Industriis*

*2. Fervē-
ter ad cor
dicere.*

26. II. Industria, Considerare qui extiterint; tum extra Societatem, tum etiam inter nostros, qui litterarum studio per exiguo, nec majori Rhetoricæ præfatione vel opinione doctrinæ fulti; at spiritibus ferventes, & ad cor loquentes, facilia quædam & utilia proferentes, non modo in Indiis, remotisque ac barbaris regionibus, sed etiam in Europa, & præcipuis quidem civitatibus, non fructuose tantum, sed etiam am jucundè, cum approbatione & nominis celebritate auditi fuerint. Hæc porro experientia demonstrat, quo loco summa consistat.

*3. Scri-
pturas at-
tentè re-
minare.*

27. III. Scripturas meditari attentius, varia observare loca, & inter se conferre: alter enim subinde locus ab altero declaratur, exornatur, vim & spiritum mutat.

tur; perlegendo scripta Sanctorum Patrum super proposito loco, superque aliis, quæ ad eundem ipsi locum afferunt; perpendendo quis sensus litteralis, (nam quæ hoc sensu nituntur suasiones, plurimum efficacitatis habere solent) quis sit allegoricus, quis moralis, seu tropologicus, quis anagogicus. Et ex hoc multiplici sensu quis potissimum, & quatenus ad rem faciat, quis prætermittendus, quis verbo solum promendus, quis verò expendendus, atque ad persuadendum dilatandus, citato auctore, qui locum appositè ad id, de quo agitur, exponat. Hic simul versionum consideranda varietas, adhibito contextu Hebræo, vel Græco; sed vulgatæ editioni semper adhærendum, aliis verò utendum quatenus propositi loci proprietatem reddunt illustriorem, vel vim atque emphasim augent. Exempli gratiâ, ubi nostra versio habet, Psal. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea*, in Hebræo fonte vocabulum est, quod significet, *quasi in visceribus condere*, aut *ex intimo animo sensu amare*. Quod planum est, quanto vim & affectum majorem exprimat, quàm illud, *Diligam*. Et tamen ad vitandam ostentationem, ejusve suspicionem, non multæ hujusmodi significationes diversæ, ut quinque, aut sex, sed paucae omnino proferendæ in medium. Ac

vi-

videndum, nè dum multæ afferuntur, eodem tamen omnes recidant; aut minutatim nimis, quod in schola potius magistrum decet, exponantur. Nam interdum magnè ingeritur vocum ac notionum varietas, quæ ut ad propositam quæstionem haud magno opere facit, ita sanè molesta est; nec vitiosè minus, quam damnosa.

4. *Emul-
tis certa
seligere.*

28. IV. E pluribus rerum capitibus duo, vel tria præcipua sibi deligere, quibus insistat, quæve persuadenda constituantur: veluti eleemosynam, orationem, frequentem usum Sacramentorum: aut certè dissuadenda, veluti avaritiam, odium, sensualitatem. Hæc verò capita amplificare, exaggerare, inculcare ad persuadendum oportebit, adhibitis rationibus, quæ & intellectum convincant, & affectum promoveant.

5. *Vitia
persequi,
donec ex-
sarpentur.*

29. V. Vitium quoddam declinat quo peccatorum emendatio plurimum impeditur. Id autem est, quod quidam Confessionatorum, ut reprehensionem illigentius sententiis, atque conceptibus; satis habent eos semel, iterumve protulisse: neque curant sæpe ac variis modis vitiorum castigationem inculcare, eademque urgere, tamdiu insectari, mutatis tamen rationibus ac stimulis, donec paullatim radicitus evellantur. Qua in re vehemens fuit D. Joan-

nes Chrysoftomus; exempli causâ adversus Juramentum, luxum, auri & argenti profuentiam, sensualitatem, luxuriam, abusum Sacramentorum, Communionis infrequentiam, & alia id genus multa.

30. VI. Cavere sibi ab humano respectu, qui vitandæ offensionis causâ reprehensionum libertatem ac fiduciam infringit.

6. Respektus humanos cavere.

Quamquam videndum pariter, nè per speciem libertatis ullo modo perstringatur aut particularis quisquam, aut status publicus, veluti Prælati, aut Magistratus. Possunt enim ex circumspeditione, & prudenti consideratione, quæ videbuntur peccata universè redargui, dilatâ correctione, quæ personam attingeret, usque dum, si opus erit, privatim fiat.

31. VII. Non videtur laudanda eorum diligentia, qui concionem perscribunt integram, atque ad verbum mandant memoriam.

7. Verbis se non alligare.

Nam præterquam, quòd, ut populus probè intelligat ac percipiat quod dicitur, versandum est, auctore S. Augustino, quod agitum multimoda varietate dicendi: quod in potestate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant: certum est dici efficaciter eo modo, ac penitus inferi vix quidquam posse. Id verò si animadvertat auditor (quod proclive est)

Cap. 10.

tum certè illud tamquam serium, aut ex
mo dictum, non habet, nec magni facit. A
de quòd oratio artificiosè contexta & elab
rata seipsam prodit ; sempèrque verit
Concionator, nè si vel una periodus, aut
am particula memoriâ excidat, totum
orationis contextus. Quæ res quant
dicendi vim retardet, credi vix potest.
propterea tamen dicendum ex tempore,
præmeditatis rebus, ac modo quo expon
dæ sunt.

8. *Lecta
ad certa
capita re-
digere.*

32. VIII. Juerit redigere ad con
munes locos, atque ad certa rerum capita
vocare quæcumque sparsim leguntur
præstò sint, quotiescumque instruere
cionem, aut exornare quis volet.

9. *S. Joan:
Chryso-
stomum imi-
tari.*

33. IX. Præ ceteris Sanctis Do
ribus familiarem sibi reddere S. Joann
Chrysoctomum, qui non solum res ipsas
docet, verum etiam rationem easdem
tractandi, amplificandi, ac demum pet
dendi.

10. *Instru-
tionē pro
Conciona-
toribus le-
gere.*

34. X. Accuratè observare Instru
tionem, quam pro Concionatoribus perscrip
mus : nominatim vero §. 2. 3. 4. Cred
etiam è re Juniorum fore, si quis insign
cujuspiam Sancti concionem in manus
mat, quam patrio sermone veluti suam
primat. Sed hujus rei modum, ut sit ut
co

considerare sedulo debet Superior, ac Præfectus concionum, atque ex Urbe fortasse aliquid aliquando speciatim moncbitur.

35. XI. P. Carolus Reg us ad usum, 11. Et P. Caroli Regii, & P. Mazari- ni scripta
& instructionem Concionatorum Societatis percommodum atque uberem, nostro jussu, librum conscripsit. P. item Mazarinus alium ejusdem argumenti tractatum brevissimum quidem, sed methodo & præclaris monitis commendabilem. Fuit uterque in munere concionandi apprime exercitatus. Quocirca faciendum, ut quæ ab utroque scripta sunt, ea diligenter à nostris atque utiliter perlegantur.

36. XII. Superiores denique in eam 12. Superioris in hoc negotio partes.
curam, ut in rem maximi momenti, studiosissimè incumbent, ut magna habeatur ratio studiorum, ac modi studendi, temporis item ac spiritûs. Ut aptus deligatur Præfectus concionum, ejusque officii executio urgeatur. Seriæ adhibeantur monitiones ad emendationem, curiosique ac leves, nisi emendent sese, removeantur. Enimvero nisi hæc diligentius curentur in posterum, suppetent quidem (itâ potissimum Divinâ opitulante gratiâ) non pauci, neque infructuosi Concionatores; sed non tam vi institutionis, quàm naturæ munere, aut applicatione animi, & spiritûs ardore, dum se quisq;

Dd 2 per

420 Ep. XXI. R. P. N. CLAUDII AQ. 16.

per se promovere contendit. Ceterum institutio magistra & dux accesserit, tum vero & ad absolutionem, & ad numerum Concionatorum accessionem magnam fecerimus.

Atque hæc sunt, quæ de proposito argumento mihi occurrebant. Superest ea per suam Provinciam Reverentia Vobis communicet, atque observanda curet diligenter. Sic omnium precibus & sanctis sacrificiis me commendo. Gratia Domini nostri JESU CHRISTI cum omnibus vobis.
Romæ 28. Maji, 1613.

RR. VV.

Omniium in Domino

CLAUDIUS AQUAVIVA